



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LXX. Crucis signum contra pestem obuium remedium est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

CAP. LXX.

*Crucis signum contra pestem obuium
remedium est.*

O Buium dico, quia omnibus ad manum quod manu
fit. Varij autem eius sunt effectus & virtutes non
solum contra spirituales dæmonum nequitas,
verùm etiam contra corporum infirmitates, morbos, æ-
gritudines, ipsam denique de qua agimus pestem. ideoq;
ab initio Ecclesiæ ad eò semper omnibus fidelibus ad
omnem actionē in vlu fuit, vt eà se frontes terere scripse-
rit Tertullianus : refert etiam Ruffinus, Alexandria Lib. 11.
ca. 29.
vnumquemque in postibus, in ingressibus, in fenestris,
in parietibus columnisque eam depingere consueuisse.
Et meritò. nam dixit Dominus ad Ezechielem Prophe-
tam : *Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa* Ezech. 9.
Tau super frontes virorum gementium & dolentium super cun-
ctis abominationibus, que sunt in medio eius. Signum Tau,
signum Crucis est, quod ibi datur tamquam tessera libe-
randorum à nece, æquè ac salutis per Crucem Christi
consequendæ. secundùm illud Apocalypsis 7. vbi dicit
Angelus Domini : Nolite nocere terræ, &c. quoaduf-
que signemus seruos Dei in frontibus eorum. Sic bea-
tus Ephrem dicitur gestasse crucem in fronte, vt docet
imago eius ad viuum expressa ex prisca quæ extat
Constantinopoli, quam eius operibus præfixit vir eru-
ditissimus, qui nostris temporibus Syrum hunc Theo-
logum Latino sermone fecit loquentem; cui Græ-
cè dicendi primam partem sanctus Basilus attribuit.

T t 3 Gerardus

Corn. à
Lap. in
cap. 9.

Serm. de
Cruce.

Hom. 55.
in Matth.

Gerardus Vossius Belga. hinc idem Ephrem vocat
sæpiùs Crucis signum panopliam siue armaturam Chri-
stianorum contra omnes insultus, afflictorum consola-
tionem & leuamen, imbecillorum fortitudinem, ægro-
torum medicinam, leproforum purgationem, paralyti-
corum erectionem. Idèd inquit Chrysof. vt nempe
præseruemur, & in penetralibus, & in parietibus, & in
fenestris, & in fronte quoque ac mente magno studio
crucem inseramus. ac rursus homilia, Quod Christus sit
Deus: Crucem vbiq; celebrari videre licet, in domibus,
in foro, in murorum picturis, in corporibus brutis malè
affectis, in corporibus à dæmonijs obsessis. Et quo fru-
ctu? docet id nos inter alios elegans illa Ecloga Seueri
Sancti Endeleichi Rhetoris, dum de peste bouum atque
hominum ceterique pecoris, quæ totam fermè Europam
peruaserat, nam scribit:

*Hec iam dira lues serpere dicitur.
Prædem Pannonios, Ithyrios quoque,
Et Belgas grauius strauit, & impio
Cursu nos quoque nunc rapit.*

circa an.
376.

agens, narrat illam à Christianis per signum Crucis me-
dijs frontibus additum, facillimè curari consueuisse, &
tanto miraculo Gentiles ad fidem conuersos. Lubet hîc
pauca inferere. Introducit de hac strage pecudum sua-
rum conquerentem Buculum, qui ait:

Habetur
tom. 5.
Biblioth.
Patrura.

*Læuis bos subito labitur impetu
Aestas quem domitum viderat altera,
Tristem continuo disjungo coniugem
Nil iam plus metuens mali.*

Dicto

*Dicto sed citius consequitur necem
Semper qui fuerat sanus & integer.
Tunc longis quatiens ilia pulsibus,
Victum deposuit caput.
Hic fontis reuens, graminis immemor,
Errat succiduo bucula poplite,
Nec longum refugit, sed grauius ruit
Lethi compede claudicans.*

--- Dic age Tityre

*Quis te subripuit cladibus his Deus,
Ut pestis pecudum, quae populata sit
Vicinos, tibi nulla sit?*

Petit
deinde.

*Signum quod perhibent esse Crucis Dei
Magnis qui colitur solus in urbibus
Christus, perpetui gloria numinis,
Cuius filius vnicus*

Respon-
det.

*Hoc signum mediis frontibus additum
Cunctarum pecudum certa salus fuit.
Sic verò Deus hoc nomine prae potens.
Saluator vocitatus est.*

*Fugit continuo seua lues greges.
Morbis nil licuit si tamen hunc Deum
Exorare velis; credere sufficit,
Votum sola fides inuat.*

*Non ullis madida est ara cruoribus
Nec morbus pecudum cade repellitur
Sed simplex animi purificatio
Optatis fruitur bonis.*

*Hac si certa probas Tityre, nil moror
Quin veris famuler religionibus.
Errorem veterem diffugiam libens;
Nam fallax & inanis est.*

Iam

*Iam me consiliis iungite prosperis.
Nam cur addubitem quin homini quoque
Signum prosit idem perpete seculo,
Quo vis morbida vincitur.*

Haftenus Seuerus.

In Leuit. l. 1. ca. 33. Cur verò non omnes prædictos Crucis effectus experiantur, Rupertus clarè nos docet. Ideò, inquit, nō omnes signaculo Crucis vtentes vim eius sentiunt, quoniã licet Crucis signum in fronte gerāt, non tamen in corde Crucifixum habent. etenim Crucem non simpliciter digito in corpore, sed magnā fide in corde formare oportet. nam si hoc modo impresseris, ait Chrysoft. nullus dæmonum cum hastam videat qua lethale vulnus accepit, congregari tecum audebit. Fugiet gemitus, dolor, morbus, & morborum omnium vltimū mors. nam teste Damasceno, Crux jacentium est erectio, stantiū fulcrum, infirmorū scipio, animæ conseruatio & corporis, omnium malorū auersio, bonorum omnium conciliatio. Quomodo pestem salutare hoc signum ab animalibus depulerit, iam statim retuli. quomodo & ab hominibus, ecce subjicio. Turcos, inquit Nicephorus, quos in exercitu rebellium Persarum militantes Cosrhoes Rex ceperat, Constantinopolim misit; stigmaticos liquato atramento in fronte Cruces gestare Imperator deprehendit. rogat quam gratia quæ non colerent circumferrent signa? Illi grauem ante plures annos in Perside, & patria sua pestem coortam esse dixerunt. à qua cum multi mortales infecti interirent, Christianos quosdam qui ibi fuere, hominibus, si hoc fecissent saluti suæ consulturos esse, regionemque eam à lue tali intactam liberamque fore persuasisse, idque ita esse ab ijs factum.

Et

In Leuit.
l. 1. ca. 33.

Chrysoft.
hom. 55.
in Matth.

Lib 4. de
Orig.
fidei.

Niceph
l. 18 c. 20
& Theo-
phan. in
Miscella.

Et quid ni pestis fugiat per tale signum etiam ab homine infideli factum, cum ipse dæmon immò dæmoniorū multitudo ab homine ludæo illo signo se muniente auferit. cum enim ludæus quidam in templo Apollinis juxta viam de nocte quiesceret, adfuit ibidem Lucifer cum toto suo consistorio, singulorum actus discussurus quid quisque nequitiae eo die egisset: at conspicatus ibi prædictum ludæum, vnum è suis apparitoribus ad eum mittit: qui Crucis mysterio signatum videns, recedit & exclamat: Væ, væ, vas vacuum sed signatum. quo dicto cuncta malignorum spirituum turba abscessit. Sed audiamus Christum ipsum in Cruce pro nobis passum, & qui Crucis virtutem si quis alius, optimè nouit. Refert Vincentius Bellouacensis de S. Edmundo puero adhuc & cū pueris in schola operam danti, sed postmodum Archiepiscopo Cantuariensi, quòd cū Parisijs Scholas frequentaret apparuerit ei JESUS Saluator noster in forma pulcherrimi puelli, qui Edmundum interrogabat; Nosti me? Respondit Edmundus, nullam teneo prorsus tui notitiã, neque sum vt æstimo tibi notus, adjecit puer JESUS: Quomodo ita sum tibi ignotus præsertim cū & in Scholis ad latus tuum sedeam & tibi vbicumque fueris inseparabiliter sim sociatus? deinde subdit puer JESUS: In faciem meam respice, & si quid in fronte scriptum sit, sedulus aduerte. quod cū fecisset, scriptum in ea legit: IESUS Nazareus, qui statim quod viderat & legerat, eidem retulit; à quo protinus audiuit: Hoc est nomē meū quod tibi memoriale sit in desiderio animæ tuæ, & hoc diligenter & articulatim singulis noctibus imprime frōti tuæ; per hoc enim poteris contra mortem subitanæ muniri, & quisquis eadem scriptura munierit modo cōsimili frontem suam, à subitanea & mala morte liberabitur. Optimum ergo & saluberrimū est consilium horis sin-

Greg 1.3.
dial. ca. 7.

Lib 31.
ca. 68. &
patet in
vit. apud
Sur.

gulis, mane & vesperi hoc diuino & coelesti signo seu titulo, qui per signum Crucis exprimitur frontem munire, contra pestem, quæ ordinariè subitanèam & improuisam mortem secum adfert. Quàm frequenter peste infectos hoc ipso signo Crucis S. Rochus liberauerit, jam supra retulimus dum de eius patrocinio ageremus, qui & Cardinali Britonico cui per triennium Romæ cohabitauit, contra pestem Crucem in fonte impressit ac si cauterio fuisset inusta. Nec id mirum. non enim sterile & inane hoc signum est, sed mysteriis multis mira operantibus grauidum. nam sicuti verba nihil aliud sunt quàm signa volūtatis & conceptuum nostrorum, sic absq; verbis possumus Deo signis aliquibus quænam sint animi nostri cogitata & desideria explicare, veluti etiam gemitibus atque plorantibus dolorem solemus enunciare. Quocirca hoc signo Crucis à nobis legitimè ducto multa volumus proferre, scilicet implorare auxilium diuinum breui hac Crucis significatione per merita & passionem Christi, dolere de ipsius per Crucem passione, letari verò de eiusdem per eandem parta victoria, spem ponere in eadem passione, offerre sese ad omnia tormenta pro Christo lubenter toleranda exemplo Christi crucifixi. Hæc & alia possumus signi istius ductu quasi breuissimo quodam verborum compendio, & veluti nutu Deo omnia intelligenti explicare. Neque verò opus est (quamuis id sit maioris meriti & perfectionis) quemlibet Catholicum dum Crucis figuram facit hæc speciatim scire aut velle. nam cum quilibet Catholicus velit hoc signo id significare quod Ecclesia Catholica vult: Ecclesia vero velit hoc signo iam dicta significare, quâuis id à multis ignoretur (cum tamen omnes à Pastoribus suis secundum Concil. Triden. de istis sint instruendi) tamen cum

cùm illud faciūt secundùm Ecclesię Catholicę mentem, per idem fati ostendunt hæc omnia Deo, atque ita eum precantur dolentque tacito quodam sensu de ipsius passione; sicuti ordinariè à Theologis doceri solet eum verè & legitimè baptizare, sit iudæus, gentilis vel hæreticus, qui intendit facere quod facit Ecclesia. atque ita pro Athanasio adhuc puero baptizante confodales suos jam olim iudicatum est. Cùm igitur tanta sit signi Crucis efficacia, frequenter illo potissimùm hoc tempore contra serpentem in dies contagionem utamur. Neque pudeat nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum Crucis digitis imprimamus, & in alijs omnibus Crux fiat in panibus comedendis, in poculis bibendis, & in egressu & ingressu, ante somnum recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. magna est hæc custodia quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos, cùm à Deo sit hæc gratia, signum fidelium & timor dæmonum. Monet nos his versibus sacer Poëta Prudentius Hymno 6.

Cyrril.
Cateches.
13.

*Fac cum vocante somno
Castum petis cubile
Frontem locumq; cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebra.
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.*

Sequens verò Oratio contra pestem S. Augustino tribuitur, & in vetustioribus libellis, Hortulus animæ intulatis reperitur.

Pax Domini nostri I E S U Christi, virtus sacratissima Passionis eius, signum S. Crucis ✠, integritas B. Virginis MARIAE, benedictio omnium Sanctorum, custodia Angelorum, suffragia omnium electorum D E I, sint inter me & omnes inimicos meos visibiles & inuisibiles, nunc & in hora mortis meae. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti ✠ Amen.

Cur verò in Ecclesiarum turribus Crux gestās Gallū gallinaceum collocetur, incidat Alb. Magn. Christ. instit. p. 3. c. 3. Scilicet vt peccatores dū eminus Crucem vident & gallum, memores poenitentiae S. Petri & veniae per Crucem obtentae, excitentur ad similem poenitentiam & in spem erigantur cōsequendae gratiae. quamuis & nuda Crux designet locum istum Deo esse dedicatum. nam ab initio nascentis Ecclesiae quotiescumque locus aliquis diuino cultui mancipabatur, signum S^ma. Crucis ibidem erigebatur, eoq; solo signo censebatur locus sacer, vnde & in Titulum, id est, in Ecclesiam erigi dicebatur. atque hinc manauit priscus ille vsus quòd qui Ecclesiae alicui presbyter adscriberetur, ab eadem Titulum acciperet. quāuis postea Romae obtinuerit vt non omnis Ecclesia Titulus diceretur, sed tantum insigniores: quibus Cardinales praeficerentur.

Vide Ia-
cob. Gret-
zer. lib. 2,
de Cruce.

C A P. L X X I I.

*Euangelium S. Ioannis è collo suspensum contra pestem
sacrum amuletum est.*

Immediatè jam praescripta Oratio libellis Euangliorū S. Ioannis à Saerdote benedictis adiungi solet, quos fideles è collo suspendere consueuerunt in antidotū contra veneficia, morbos aliaqne corporis incōmoda, & vt ipsa oratio sonat, cōtra mortem subitanē siue pestem.

Neque